

Q. K.
397,
6.

X 190 33 95

II n
3545

I. N. J.

ONOPHAGIAM SILESIIORUM,

Amplissimi Philosophici Collegii

Indultu

DISSERTATIONE HISTORICA

M. CASPARUS Sommer/

ET

JOHANNES GEORGIUS Gottschalek/

Vratislavia Silesii

refellent.


Ad D. XIX. Maj. Anno M DC LXXVII.

In Auditorio Veteri.

WITTENBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr. Excudebat

SIMON Steberhirs.



0 40





I. N. J.

PRÆFATIO.

Libido quædam exagitandi nationes nescio qua furia lymphatos, incescit homines. Hinc ludibria, hinc probra, quibus gens gentem exagitat, non absq; animi exacerbatione, perferre objectas, quas credit, injurias non semper potentis. In veteratum id malum est, nec hoc demum ævo natum: eoq; magis detestanda, quo amplius propagatur, labes, quam satius in prima origine extinguere fuisset. Dulcissima nostra Silesia, quæ nulli Regioni, seu felicitatem Soli, seu cultum, & quicquid laudis in provinciam conferas, spectes, cedit, imò multas, multis par sanguis præterit, effugere malitiam non potuit. Hæc cum Patria nobis sit, quæ nostræ, nobis solis non natorum, nativitatis maximam partem sibi vindicat, ut probrum ipsi objectum diluamus, pietas stimulum calcareq; addit.

Libido exagitandi



Opera præcium autem visum est, antequam fabulam istam de Silesiis exponamus, conviciūq; abstergamus quod per illam in nationem nostram conjicitur, de Silesiæ (a) antiquis in habitatoribus, & unde nomen acceperit, paucissimis differere.

a. Silesiæ descriptionem Geographicam tradit præter Cluverium, & qui eum notis illustravit, Johan-Bunonem, aliosq; qui terrarum ediderunt delineationes, Jac. Schikfufius noster lib. 3. anal. Sil. c. 1. Habet & Nic. Polius Archidiacon. quondam & Senior Vratisl. ad S. Mariæ Magdal. quædam huc facientia, imo Feuer-Spiegel. Nic. item Henelius, æternæ memoriæ & meritorum in eruditum orbem Vir, in Silesiographia. Nec silendum hic Martini Helvigiū studium patriæ illustrandæ, tabula Silesiæ edita; quæ ut omnibus non satisfaciat, probandus tamen est atq; laudandus Viri conatus. Defectus Helvigiani operis compensatos videmus in Atlante majore, ubi una cum tabula descriptio quædam Silesiæ continetur. Imprimis autem extollendus est Jonas Scultetus, qui plurimorum Silesiæ Ducatum tabulas, in Belgio accuratissimè confectas, atq; pictas publici juris fecit, quæ iter in Silesiam facientibus apprime conducunt.

§. 2. Non opinor quæquam ignoraturum esse, hunc tractum, quem Silesiam dicimus, antiquitus à Germanicis Populis (a) inhabitatum fuisse; qui cum has terras reliquissent, Slavos successores habuere. (b)

a. Vid. Curzus ejusq; illustrator & continuatur Schikfus. l. 1. Id quod ex Tacito liquet, qui Germaniæ descriptionem ita incipit: *Germania omnis à Gallis, Rhetisq; Rheno & Danubio fluminibus à Sarmatis Dacisque mutuo metu, aut montibus separatur.* Adeoq; Cluverius l. 3, introd. in Geogr. c. 1. *Germania vetustissimos terminos constituit, ab occasu Rhenum amnem, & Oceanum Germanicum: à Septentrione Oceanum Septentrionalem seu hyperboreum: ab ortu Granvicum Sinum, mare Sævicum, seu finum Codanum, Vistulam amnem, & à fonte ejus lineam ad Sarmaticos montes ductam, qui è Septentrione in meridiem, ad Danubii usq; ripam protensi,*

tenfi, ubi oppidum nunc Hungaria Vacia: deinde à meridie, ipsum Danubii flumen.

b. Non prolixè hic differere licet de Slavis, qui & Wenedi & Heneti audiunt, (quos cave cum Vandalis Germanis confundas) orti ex Sarmatis. Exposuit eorum historiam accuratissimè Helmontius l. 1. c. 15. cum quo conferatur. Autor scholiorum in Adamum Bremensem l. 2. c. 10. Inde sua hausit Caspar Peucerus l. 4. & ab hoc accepit Curæus noster & Schikfufius. Slavi autem Duce Lecho & Zecho vacuas has Svevorum, Marcomanorum, Quadorumq; sedes ex quibus Lecho Polonia Silesiaq; obtigit, occuparunt. Germanicæ enim nationes sedibus suis excitæ erant, Gothorum, Vandalorum, Longobardorum aliarumqve gentium migrationibus, quæ in excidium & destructionem Romani Imperii conspiraverant; Slavi itaqve habitationes sibi quærentes, in vacuas has regiones se effuderunt.

§. 3. Quinam autem inter Germanicos Populos primi sedes in hac regione habuerint, autores variant. Alii (a) Qvados, alii Elyfios (b) Lygios (c) alii, (unde & Lignitio urbi nomen esse dicunt) Gothinos etiam, quos Communi Svevorum appellatione comprehendit Tacitus (d) est & qui Ofos, Silesiæ habitatores priscos faciunt. (e)

a. Præter Curæum Schikfufiumq; etiam Melchior Goldastus, Vir summus in historia Germanica Qvados Moraviæ & Silesiæ superioris facit accolas. E contrario Peucerus lib. 4. inter Lygios & Marcomannos inferiorem incolisse Silesiam afferit. Ubi sunt Episcopatus Nissensis (Grotgaviensis Ducatus & Nissensis diæcesis debuisse dicere, nullum enim præter Wratislaviensem Episcopatum novit Silesia, ad quem Nissensis spectat portio, quæ sæpius sedem Præbuit Episcopo.) Ducatus Oppoliensis & citeriorem Moraviam, bonamq; Poloniæ partem, versus Cracoviam, ubi est oppidum Petercovium, à regni conventibus celebre. Opinor equidem sphalma Typographi esse, aut lapsum Peucerum fuisse fatendum est, illa enim Silesiæ pars, quæ orientem spectat, in qua Oppoliensis ducatus, Moraviæ & Poloniæ dictæ finibus superior nobis audit, Goldasti a. l. 1. de Reg. Boh. c. 12. verba hæc sunt; Quadi pri-

Quadorum sedes,

mi omnium fuerunt, qui Moraviam habuisse, in literarum monu-
 mentis commemorantur. Brevis eleganter & docte in *Commen-
 tar. de vocab. Region. & gent. ap. Tacit.* Quadi tenuerunt Moraviam
 & aliquam Silesie partem, nam quod postea Austriam occupasse scri-
 buntur, id accidit diu post Taciti etatem; Sed Patria & antiqua
 sedes Quadorum fuit in Moravia & in aliqua Silesie parte. Pro-
 pter prolixitatem non adscribo notas, quas Goldastus addit crudi-
 tissimas. Fuisse autem Quados Germaniae populos ex Taciti Ger-
 mania discimus, c. 42. vid. Dubravius l. 8. Chron. Bohem. fol.
 61. Cluverius l. 7. Germ. antiq. c. 30. & introduct. ad Geog. l. 3. c. 3. id
 quod, (dicit laudatus Goldastus l. d. in annotat.) Ipsa appellatio no-
 minis ostendit. Quod Germanis notatur is, qui alteri est infestus,
 infensus, molestus, & tralate etiam pro pravo & malo accipitur, ut
 forte Quadi à Sociis sic fuerint appellati, quasi aliorum, maxime ho-
 stium depravatores & oppressores, *die bösen Qvaden / unversöhn-
 liche Schwaben* interpretatur Spangenb. in Chron. Sax. c. 13. fol. 19.
 alii Quados putant esse Austrios, ap. Hen. Meibomium annot. Sleid.
 lib. 2. de 4. Sum. Imp. Aventinus Marckfeldres Austrii tractus po-
 pulos vocat. Zosimus l. 3. Saxonum partem facit Quados, ita n. in-
 quit: Saxones omnium eas regiones incolentium Barbarorum & ani-
 mi & corporis viribus & laborum in praeliis tolerantia fortissimi habi-
 ti, Quados nationis suae partem in solum à Romanis occupatum emit-
 tunt. Pari ratione Saxonibus Quados adscribunt Procopius lib. 4.
 de Bell. Gothico, Cambdenus in descript. Britan. Renecius de
 Sax. orig. tit. II. ap. Goldast. l. c. qui pluribus ibidem de Quadis agit.

Elysi unde dicti?

b. Peucerus lib. 4. Post Senones collocat Ptolemus Ilingos quos Ely-
 sios nominat Tacit. (l. c.) hi ab Elystro amne, cuius nomen genti adhe-
 sit, ad Lygios usq; Inhabitarunt, ubi Lusatia superior est cum parte Si-
 lesie. Peucero ad stipulatur discipulus & assecla fidisimus Curæus.

Lygi

c. Audiamus & hic Peucerum Virum in historia Germanica, Saxo-
 nica imprimis maximum, majorem futurum, si ab aliis abstinuis-
 set; Hic lib. 4. hæc habet; Lygii partim Silesie citeriores intra Via-
 drum & Bobæmicos montes quorum metropolis Vratislavia,
 & post hanc Lignesium oppidum alludens ad Lygiorum nomen, par-
 tim ultra Oderam Poloni, ubi & Posnania Henetorum Bosnorum ca-
 put. Curæus noster cum meliores conjecturas fingere non posset, merito
 hic quoq; in Magistri verba juravit. d. Tacit

d. Tacit. Germ. c. 45. dirimit scinditq; Sveviam continuum montium jugum ultra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latissimè patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet Arios, Helveconas, Manimos, Elysius, Naharvalos &c. Svevorum enim natio amplissima ad mare usque Suevicum, quod & ab ipsis nomen obtinuit, ut notat Johan. Buno ad Cluv. Geograph. l. 3. c. 4. §. 5. super est a Svevis nomen Svevo flumini oder Spre videturque superstitem gentis memoriam custodire denominatio oppidi Svebosini in finibus Silesiæ versus Poloniam. ita Viadrum Svevum dictum esse opinatur l. i. Cluverius confer. Peucerus l. 4.

e. Cluverius l. 3. Geog. Cap. 3. Osi Moraviae & Silesiæ partes incolere inter oppida Ostram & Osvisium, quorum hoc Vistula, illud Maro impositum, infra hos fuere Gothini, itidem Silesiæ partem inter Mari Wartag, fluminum fontes colentes, hinc Lugii magna gens, inter Vartam & Vistulam Poloniæ partem tenuere, ad oppidum usq; Uladislaum Vistulae appositum.

§. 4. Unde autem Silesiæ nomen sit, dissentientes auctororum sententias offendimus; inter quarum divortia vix certi aliquid statuere licet. Ab Elysiis Curæus noster Silesiæ appellationem deducit, qui in conjecturis ejusmodi valde sibi placet, (a) oppido autem falsa est derivatio, quàm Sebast. Münsterus (b) fabulis incertis dubiisque narrationibus nimium subinde inhærens tradit. A Sleso enim antiquo Silesiorum Rege Slesos vocatos somniat, quem nulli unquam annales commemorarunt. (c) Dubravius atq; Borek (d) uterque Bohœmicarum rerum scriptor, à serpendo Silesios dictos esse putant, ob Germanos irrepentes incolas. Enim vero si hæc denominatio admittenda est, necessarium est, ut seculo demum XIV. invaluerit. (e) Cui opinioni accedunt scriptores Polonici, qui Silesios vocatos esse autumant quasi advenas, ob adventantes varias nationes, quæ in Silesiam domicilium quæsitum, se contulerunt (f)

(a) Curæus l. i. annal. Peuc. l. 4. Elysiarum nomen ad Lusatios magis allude

Suevorum natio,

Osi,
Gothini,

Silesiæ nomen unde?

alludere censet. (b) Münsterus Cosmograph. l. 5. c. 463. (c) Du
 bravius l. 8. fol. 81. Silesitas dictos a serpendo, quod velut insere-
 rent paulatimque irreperent, censet. (d) Boreck in Chron. Bo-
 hoem. fol. 94. confer. Schickfus. noster. (e) Quando nimirum à Po-
 lonia Silesia avulsa imperii Germanici, Bohoemiæ annexa, cæpit
 esse provincia. Vetustius autem nomen Silesiorum esse, Rudolphi
 I. Habsburgici diploma ostendit. Anno 1290. Wenceslao Otto caro
 Bohoemiæ regi datum, quod & Goldast. in Beylagen / & ex eo
 Conringius habent; quo pactum hæreditarium inter regem Du-
 cemque Vratislaviens. Henricum initum, confirmatur de quo ta-
 men nostri, quantum equidem sciam, annales plane silent; atque
 id potius testantur Silesiæ Principes sui juris sua sponte Regi Boho-
 emiæ se subjecisse. id quod alibi ostendit Nobiliss. ac Generos.
 Dn. Christ. Ferd. à Nickisch. dissert. de Electoratu Bohem. n. 7. lit. b.
 (f) Ejusdem opinionis est M. Paulus Stranskius rerum Boho-
 emiarum non malus alioquin scriptor, nisi in eo desideremus, quod
 amore gentis suæ nimium indulgens, non sine injuria Germani
 nominis scribat, sæpiusque in Serenissimam Austriam Domum ini-
 quus deprehendatur. Ita autem ille c. 7. reipub. Bohem. *Nomen
 Silesiæ forsitan est, à Convenis, qui Slavis, Slezoyve dicuntur, conve-
 nerunt enim ejus incolæ ex Wividis, Moravis, Bojemis, Polonis,
 Germanis, fixoq; in ea pede sub diversis Polonia stirpis ducibus,
 unam in gentem coaluerunt, factum ex hoc tot populorum concursu
 est, ut lingua, quæ omnium sane Slavica erat, singularis tamen
 dialectus inter ipsos quoque nasceretur.* Id autem nec Curæus nec
 Schickfus. l. 1. c. 2. & 19. admittunt, sed potius refellunt.

Optima derivatio

§. 5. Equidem pace Curæi Schickfusi que nomen Sile-
 siorum Slavicum esse puto, id quod & Peucerus (a) statuit,
 impositum ab inhabitatoribus. His postmodum Germani
 mixti fuere, qui in hanc terram se receperunt, atque ibi se-
 dem fixerunt. quo factum est, ut & lingua & Mores cultio-
 res nitorq; in patriam nostram adportati sint sermone Sla-
 vico trans Viadrum & versus Hungariæ limites pulso (c)

[a] Peucer. l. 4. Siles. appellatio a Slavorum nomine non prorsus
 dissonat. [b] fuit & Silesia ditionis jurisque Polonici, quæ æque

ac

ac reliqua Sarmatia Poloniae nomine comprehensa fuit singularis au-
 tem, juncta tamen adhuc Poloniae, provincia coepit esse, cum inter
 Vladislai, quem Poloni in exilium pepulere, Filios, distribueretur,
 inde paulatim sejuncta, & postea, cum, repudiatis Piasci sanguinis
 Principibus, qui in Silesia supererant, exteros reges sibi sumerent Po-
 loni, penitus avulsa, & regno Bohemiae illigata est; id quod ex Po-
 lonicis pariter atque Bohemicis scriptoribus constat. (c) Testantur
 id antiquissimae nobilium familiae, quae ex Germania oriundae in Sile-
 siam habitatum concesserunt. Nominabo BERGIORUM generosum
 stemma, in ducatu Glogoviensi habitans, quod ex Styria, ubi majorum
 insignia passim fulgent, huc advenit. De HEUGELIORUM nobilissima
 gente v. Schickf. l. 4. c. 16. alias omitto. Irrito autem profus conatu,
 invidiae aestro percitus in nomen Germanum Stranskius l. c. taxat, &
 foecordiae ac malae incogitantiae arguit Silesiae Principes, quod ex Ger-
 mania exciverint, & ministeriis aulicis admoverint homines. Certis-
 simum enim est, quo citius urbes Silesiae Germanicos acceperint inco-
 las, eo citius eas crevisse, & perfectas fuisse.

§. 6. Quando autem id nominis Silesia obtinuerit, certum usque adeo non est. Constat enim Silesiam aequae Poloniam antiquitus dictam esse, cum uno cum Polonis Duce & una regiminis forma gauderet. Vix ante saec. XII. Silesiorum in antiquis monumentis appellationem occurrere Oldenburger censet. (a) Is autem haeret, ubi apud Dithmarum Pagi Silensis (b) fieri mentionem legit, num de Silesiis sit intelligendus. Si hoc, jam tum saec. XI. Silesiae nomen auditum est. Goldastus (c) ex Strabo (d) Adamo Bremensi, (e) & Abbate Stadensi aliquot loca citat, ubi Slavorum occurrit denominatio.

(a) part. 4. Thes. rerump. p. 538. (b) Pagus autem hic denotat tra-
 ctum latiore, uti apud Helvetios pagi sunt Cantones, ampla sane
 & validissima territoria. (c) Gold. l. 2. de reg. Boh. c. 10. (d) Stra-
 bus ann. Fuld. A. 869. Sorabi & Sliusi, junctis sibi Bohemis & ca-
 teris circum circa vicinis, antiquos terminos Thuringiorum trans-
 gredientes, plurima loca devastant. Id A. 874. Sorabi & Sliusi, eorumque
 vicini Thaculfo defuncto, defecerunt. & ad A. 877. Slavi qui vocan-

B

167

Silesia qn. ita dicta?



antur Limones & Sliusi, eorumq; vicini defectionem molientes solitum dare censum renuunt. (c) Adam. Brem. l. i. H. E. c. 34. A. 876. Ludovicus Pius, Caesar magnus obiit. Ipse Boëm annos, Sorabos, Sliusos, (editio tamen Joh. Joachim Maderi legit Susos) & ceteros Slavorum populos ita perdomuit, ut tributarios efficeret. quæ totidem Syllabis repetit Abbas Stadenfis Chron. A. 876. ubi editio Reineccii tamen pro Sliusis Lulos habet.

§. 7. Jam ad Commentum ipsum progrediamur, quo Silesios ob simplicitatem profundissimamque stupiditatem asinum pro lepore venatos, devorasse pethibent. (a) Origo fabulæ incerta, atque exinde non dicam dubiæ, sed planè nullus fidei. Post Silesiorum à Polonis separationem figmentum primordia nactum fuisse statuit Schickfusius. (b) unde autem istam cavillandi occasionem nacti sint exteri, vix investigari poterit. Num ex ipsa Silesiorum appellatione? num ex aurifodinis Reichstenensibus, quas aureum asinum vocarunt? posterior ratio placet nostris, (c) & à non nemine versibus est reddita (d)

(a) Schickf. l. 4. c. i. Wannenhero aber dieser Nahme ist hergestossen/weiß man ins gemein anders nichts hindö zu reden/als dz die Vorfahren solche einfältige Leute gewesen/welche einen Esel niemals gesehen/viel weniger gekennet/und deswegen denselben grossen Hasen zu Croffen geschossen/zum Tobten gebraten/und zu Breslau solten auffgefressen haben. Circumfertur & Cantilena de onophagiâ Silesiorum: adferrem, si æque verba tenerem, ac numeros. (b) Neumuß dieser Nahme seyn/welcher erst zu dieser Zeit auffkommen/ als die Deutsche Sprache in richtigen Verstand alhier ist geredt wordē/ id autem teste Curzo, accidit sub Carolo IV. (c) Schickf. l. wenn aber von der rechten Ursache solches Namens sol gered und geschriben werden / so ist der günstige Leser dahin zu weisen / daß aus dem Bergwerck solcher Nahme hergestossen. Denn weil umb Reichstein von vielen Jahren hero ein stattliches reiches Bergwerck und unter andern Gold-Gruben auch an dem Ort eine sonderlich am Golde sehr reich gewesen / so man den goldenē Esel geneñet / zu welchem die Einwohner des Landes sich fleißig gehalten/und keinen Ausländer dazu
form

Postquam lasser vollen; haben die Ausländer aus Ungebult gesaget,
dass die Schlesier auff den goldenen Esel eifrig beflissen waren / als
woltten sie denselben allein auffressen. (d) Georg. Tilenus J. U. D. Celsis-
simo quondam Duci Munsterbergenf. & Olsnensi à Consiliis (cui mo-
numentum in templo nostro Academico erexit Balthas. Meneius)

Efores Asini quondam dixere Silesos,

Causa rei quæsit, quæstio nata fuit.

Mons prope Reichstenum est, auro divesq; fodinis,

Aureus hinc Asinus nomine dictus erat.

Has quia Silesi solum tenuere fodinas,

Efores Asini sint quasi nomen habent.

Sic & Frankostenii in convivio quodam anno 1610. d. 23. August. cum
hac de re colloqui cœpissent splendidi Convivæ, ad petitum Valenti-
ni Frankii J. U. D. Rudolph. II. & Matth. II. Consiliarii, hi versus
confecti sunt apud Schikf. l. c.

Quaritis inter vos cur Gens antiqua Silesos

Dicat Assellivoros conditione pares?

Reichstenum in terris auro meliore fodina

Dives, & hac Asini nomine clara fuit,

Illam nostrates peregrinis undiq; pulsis,

Cum peterent nisu fervidiore Patros:

Inde voratores Asini sunt undiq; dicti

Tempora quod Slesis nomen ad ista manet.

Quamvis autem non ita certam affirmare ausum inde natam esse ori-
ginem fabulæ, non tamen adeo alienum judico à veritate, (a) & ipsos
(b) Bohemos credo habeoq; autores quorum invidia sæpius in Sile-
sios inclaruit. (c) His enim Reichstenum, Munstergenf. Ducatus
quondam pars, (d) Glacensis comitatus, (e) quem Bohemi suum fa-
ciunt, ratione, vicinum est.

(a) Oldenburger quidem part. 4. thes. rerumpub. pag. 412. dicit,
Si sic excusas, perinde est ac si agnoscas; Enim vero & si vel maxime
fabulam inde ortam esse opinemur, quæ inde colligi potest agnitio
Stupiditatis? (b) Bohœmis enim ut & aliis Slavica lingua utentibus,
Asinus sonat Osil, i illo admodum raptim pronunciato, ita ut vi-
deantur ad nomen Silesi vel Sloes respicere Bohœmi. (c) aliquo-
ties Bohœmi Silesiis litera moverunt de judicio illustri des Fürsten

Invidia Bohemorum in Silesios,

Glacensem comitatum
Silesiae partem esse probat.

Rechtswegen/oder Oberrechts/de quo ut & de lite illa lib. 3. cap. 23.
Schikfus. videri poterit. Silesiorum causam strenue ac nerve Nobilis Wilhel. Bockius Lignicens. Duc. Cancellarius coram Ferdinand. I. peroravit. Malevolum, quoque in Silesios animum Bohemi saepius in novi regis proclamatione declararunt, contra pacta & leges, nostros negligentes. (d) Emptione Friderici II. Lignicens. ac Brigenf. Ducis, cui Munsterbergensis ducatus oppignoratus erat, ad Bregenses per venit. (e) Glacensis comitatus, quem suum quondam juris inter Bohemiam & Silesiam situm dicit Cluverius l. 3. c. 13. n. 4. olim Silesiae pars fuit. Non negat ipse Stranskius c. 2. reip. Bohem. quamvis incertam possessionem dicat, annumerari eam Silesiae dicit Oldenburger, certum est, limitem naturalem, qui montes Sudetici sunt, Silesiam, & Bohemiam dirimentes, a Bohemia separare, & si ab hoc iudicio standum, Silesiae adjudicare. nec minus constat, comitatum hunc ab antiquissimis temporibus Ducum Munsterbergicorum Piaslei sanguinis fuisse patrimonium, ex quibus Boleslaus, Johanni Luelburgio Regi Bohemiae illum vendidit, qui Henrico VI. Vratislaviensi. Duci ultimo, dum viveret, permisit. Nec puto ea emptione defuisse Silesiae pars esse, etsi Johannes Rex possederit, & Ducatus Saganensis Saxoniae Serenissimis Ducibus venditus legitur, nunquam tamen a Silesia avulsus, pari ratione, Frankostenensem districtum, a Nicol. Parvo duce Munsterbergensi Carolus IV. emit, quem tamen Silesiae portionem mansisse, nemo inficiatur. Quid quod & comitatus ille non solum ducibus Munsterbergensibus ex Domo Piaslae: sed etiam, his extinctis, Podibradiis restitutus est. Qui cum 80. annos tenuissent, Ulrico Hardekenfi comiti vendiderunt. Allegare hic possem tot virorum clarissimorum testimonia, qui ex Glacensi comitatu oriundi, Silesios se professi sunt. Ad haec collegia opificum, quae in hujus tractus oppidis sunt, quando inter contribules circa leges & consuetudines oriuntur controversiae, Vratislaviam decidendas eas hactenus devolverunt, ad Socia collegia, a quibus dependere se profitentur (Sie erkennen sie vor die Haupt-Beche) & quotannis ad conventus (auff die quartal oder capitul) citantur. Quibus Magnifici Senatus nomine quis ex honoratioribus civibus Vratislv. praesidet, unde hoc? nisi quod ab antiquissimis temporibus Glacenses, Silesiis

his juncti fuerint. Præterea mores Glacensium; et si consuetu-
dine Bohœmica non nihil imbuti sint, Silesios tamen sapiunt. Nec
possum non castigare Oldenburgerum, qui stupidiores vocat Glac-
censes, & nequaquam dicit vel artificem vel virum doctum ex hoc co-
mitatu laudari posse, perinde ut de Bohœmorum dixerat ingeniis.
Enim vero non minus ac reliqua Silesia virorum doctissimorum ferax
fuit Glacensis ager. taceo mortuos, Origanum & Koberum, Virum
summum & maximæ ap. Maximilianum II. Rudolphumque II. Cæsa-
res, autoritatis, quibus a secretis fuit, aliosque innumeros. Vivunt
adhuc ex comitatu Glacensi insignes viri, & ut diutissime vivant
omnibus precibus a Deo exorandum. vivunt viri nunquam sine pie-
tate ac reverentia nominandi, de me optime meriti, quorum alter.
Affinis, & Patris loco mihi semper habendus, alter Præceptor, omni
obsequio & observantia, dum spiritus hos regit artus, colendus. nim.
Admodum Reverend. & Ampliss. Vir M. MICHAEL LIEFMANNUS
Birnbomensis hodie in Majori Polonia Ecclesia Evangelica Antistes,
cujus dotes quibus cœlitus instructus est, coluit Silesia, Hungaria ve-
nerata, Saxonia admirata est, Polonia amplectitur; qui non minus
doctrina ac voce quam exemplo constanti optime meritus est de Ec-
clesia. Deinde Præclariss. Vir JOHANNES GEBHARDUS, in Gy-
mnas. Elisabeth. Vratisl. Corrector & Prof. Publ. in Græca literatura,
& antiquitatibus incomparabilis, summisque meritis in juventu-
tem Silesiacam, celeberrimus. Uterque magnorum horum viro-
rum Habelsvverdam Glacensis comitatus oppidum habet patriam.
Nec defuere Glacenses quondam suæ juventuti, quam erudiendam
tradidere optimis Magistris. Quippe Glacii imprimis literarum
studia florere & celeberrima schola ibi viguit, quam Andreas Ca-
lagius Poëta præstantissimus, qui in illa docuit, illustravit, plura de
comitatu Glacensi habet in Chronico Glacensi Ælurius, qui tristes
ante motus Bohœmicos Glacii, quod Patria ipsi erat, Evangelium do-
cuit. Quamvis itaque ab illo tempore, ex quo à Ducibus Munster-
bergensibus, quibus tamen nomen hucusque superfuit, venditus fuit
comitatus, perpetuo nexu, Bohœmiæ illigatus fuit, ita ut ab omni
consuetudine Silesiorum in tributis solvendis, comitiis illustribus
visitandis, abstinerint, non tamen Silesiæ pars esse desit, cum &
Crosnensis ducatus nihil cum reliquis Silesiæ principatibus solvat, nul-

*Viri docti ex agro Gla-
censi oriundi,*

lamque ejus curam habeat, ac nullis interfit deliberationibus, manet tamen Silesiæ pars, & jure se Elector Brandenburgicus Ducem Silesiæ Crosnensem nominat.

§. 8. Quis vero adeo fungum pro cerebro habet, qui non insulsum hoc figmentum, Asinini cerebri insipidum partū esse credat. siue enim venationum inopiam, siue mores Silesiis exproberent, non sine injuria tamen nationis fit, quæ non raro rixis & digladiationibus tristem præbuit ansam. Qui illusionem hac delectantur, ad illud Comici illud quædrabit; Si pergant dicere ea quæ volunt, ea quæ nolunt audient. Non detrectabunt accipere responsa Silesiorum, quibus injuriam hanc verborum retundunt (a)

Dicit, Grille, Asinos Silesia devorat omnes,

Si verum est, ne Te devoret illa, cave.

§. 9. Et si fortassis opus habeat Silesia, ut ab Exteris leporinos accipiat homines, feris tamen illis, quas gloriam primam Martialis dixit Poëta, (a) non destitui; sed abundare potius, nobiliumque Mensas frequentissime instruere, atque ornare, tot sylvæ ostendunt (b) ubi maxima ferarum copia omnis generis oberrat, quid ni & leporum? Nec degenerarunt Silesiæ à Majorum indole, qui venationibus impense dediti, fuere, (c) Hæc n. oblectamenta nobilium, qui ruri degunt, sunt, quibus molestias suas curasque interpolare atque abigere amant,

(a) Mar. l. 13.

Inter aves Turdus, si quis me judice certet,

Inter quadrupedes, gloria prima, lepus

(b) multo magis prioribus temporibus, ubi nondum tot oppidis, atque pagis Silesia exornata fuit, sed sylvestris, regio domicilium feris præbuit. de hodierna Silesia Schickf. l. 4. c. 5. Ob nun wol mit Erbauung der Städte/ Flecken/ und Dörffer/ die Wälder Pütsche und Heyden in Schlessen/ sehr niedergeleget werde/ iedenoch sind noch zur Zeit viel Wälder darinnen/ in welchen mehr Holz und Wild als anderswo gefunden wird/ bevor auf gegen der Polnischen Seiten/ und auf den Gebürge

Silesia ferarum copia abundat.

Gebürge. Dannenhero die Fürsten in Schlesien / ihr schöne Wild-
Bahn und Jagten haben / in welchen sie Hirsche Rehe hauende
Schweine / Frischlinge / und Hasen in zimlicher menge erjagen / mit
Wölffen / Währen / Füchsen / Dachsen / Bibern / Fischottern / Mar-
dern / Eichhörnlein / und andern Thieren ihre Lust anstellen / &c.
(c) Coluisse antiquos Silesios, uti alii Sarmatae, Dianam, quam Zivo-
niam vocarunt, Schickf. de cet. l. 3. c. 1.

§. 10. Admittamus a. simplicitatem Silesis obijci:
non irascimur, gratulamur nobis laudem, qua nos depræ-
dicant æmuli. Virtutis est, quam nobis tribunt, de simplici
& plano esse. (a) Profiremur nos tales esse ab omni furo
alienos, detestantes homines duplices, & ceu claustra Erebi
abominantes. (b) Enim vero qui stupiditate ingenii Silesios
omnes laborare credit, delirum illi insanumq; credo esse
sineput (c)

(a) Tull. offic. l. 1. dicit: quod verum simplex, sincerumq; id natura ho-
minis aptissimum. (b) Homerus Iliad. l. v. 312 (c) Qvanquam c. Olden-
burger loc. supra cit. ingenia Silesiorum nisi excolantur simpliciora
videri dicat, inde tamen non existimo ullam stupiditatem evinci
posse. Tolle cultum ingeniorum, & relinqve sibi optima etiam in-
genia, quam expectationem inde concipies? idem postmodum lon-
ge aliter de nostris judicat: non videntur, inquiens, ad literas inepti,
plures enim viros doctos, edidit Silesia, quam Bohœmia & Polonia,
præcipue medicos, quibus aliis omnibus palmam præripit, sunt in-
dustrii tum circa pannos, tum circa lintea occupati, quæ nusquam
adeo subtilia, quam ibi, & in magna copia, perficiuntur. Videtur
igitur ingenium ipsis non deesse. Philippus Melanch. Communis
Germaniæ Præceptor sæpius Silesios commendare solitus est, in elo-
quentia & Pœseos Studiis excellere, quam cum quondam ministrū
Cæsaris in Bohœmia eadem laude Silesios, mactarent & nemo Poeta-
rum versibus Encomium illud inclusit.

Esto Asinum quondam Deglutivisse Silesios,

Objicere ut Slesis ille vel iste solet,

Asi Asini Cerebrum non glutivisse Silesios,

Inviti Præces regis & Acta docent.

*Silesia viros doctorum
ferax.*

Hinc

Hinc & sunt adeo cauti catiq; Silesi

Ut vincant alios dexteritate viros.

Nec est, ut Testimonia coacervemus de indole Silesiorum, quæ ab incluta Academia possemus arcessere, quæ nullo non publico programme, ubi Silesiorum fit mentio, Silesiam de præclaris commendat ingenis. Unicum, quod Vratislaviæ nostræ tribuit Elogium, August. Buchnerus, Vir dum viveret, sua laude major, in orat. memoriæ Viri incomparabilis Daniel. Sennerti Medici, civis nostri, habita.

§. II. Inclaruere certe ex Silesiis Viri, qui in omni eruditionis genere amplissimam sunt adepti famam. (a) nulla ferè in Germania Academia est, in qua non ex Silesiis Viri docuere celeberrimi. Testis nobis est Witteberga nostra alma Studiorum nostrorū nutrix, Ibunt in Secula & innumera-
rabilibus canescent annis clarissima illa HENRICI, VINCENTII, GESNERI, REUSNERORUM, SVEVI, SENNERTI, NERGERI, POMARII, nomina.

(a) Demonstravit id Præclariss. Vir Mart. Hankius Præceptor meus æterno cultu ob insignia in me & plurimos alios collata merita, devenerandus aliquot enim vicibus in Gymnasio Elisabetano, in actibus publicis oratoriis recitandas proposuit selectæ Juventuti vitas Silesiorum, scriptis claror. gratulabitur sibi non modo patria, d. & omnis eruditus orbis, de quo utilisimis scriptis bene mereri studet, & desiderat maturari opus, quod descriptoribus Silesiis edendum, l. 2. de script. rerum Rom. part. 1. c. 28. n. 1. pollicitus est.

§. 12. Nec desunt in Silesia studiorum adminicula, quibus ingenia literis apta educantur. liberalia enim studia ap-
prime ibi florere hæcenus, & quamvis difficilia tempora omne sacrorum Evangelicorum publicum exercitium plerisq; in locis exulare jusserint, & scholas adeo simul, quæ olim celebratissimæ fuerunt, sustulerint, Sedes tamen atq; magistræ studiorum supersunt Vratislaviæ, Lignitii & Bre-
gæ, ubi per omnem honestarum artium cultum pueritia adolescentiaq; transigi, & ad altiora studia aptari potest.

§. 13. Quid

§.13. Quid quod & in annalibus celebratos invenimus
eruditos, cum Barbaries adhuc superiorum temporum Ger-
maniam premeret. (a) ut proinde omni tempore Silesio-
rum præcordia ex meliore luto fabricata credenda sint, &
ii mendacii arguendi, qui crasso sub aëre natos esse, aut aliis
persvadent, aut ipsi persuasi sunt.

(a) Ita Academia Lipsiensis, quæ ex Pragensi veluti colonia edu-
cta est, primus Rector fuit Joh. Otho Münsterbergensis, Ao. 1416. 24.
mart. mortuus. sic Wratisl. in templo S. Alberti, monumenta extant &
Ceslai Oppoliensis, qui 1242. Ao. decessit, primus ordinis Dominicanor-
um in dicto cœnobio Prior, miraculis clarus habitus, qui urbem Wra-
tislaviensem ab in cursu Tartarorum liberasse dicitur precibus, indeq;
Sanctorum catalogo adscriptus) & Frat. Georgii Heincii Wratisl. Ma-
gistri Theologiæ, qui scripsit *lecturam*, (ista sunt monumenti verba)
eleganti Stilo, super orationem, quam Christus ipse discipulos docuit:
insuper Tractatum pulcherrimum in quatuor partes divisum contra
hereticos, qui pertinaciter communionem sub utraque specie esse de
præcepto Domini, & necessitate salutis defendunt, ut tanquam Heretici
habeantur. claruit Ao. 1478. Item. Fr. Joh. de Frankenstein, qui primus
Doct̃or Theologiæ universitatis Lipsiensis dicitur, vicarius & reforma-
tor Wratislaviensis conventus, hereticæ pravitatis inquisitor per diœ-
cesin Wratisl. ac prior provincialis Coloniæ. scripsit super Pentateuchon
super sententias, sermones magistrales ad Clerum de tempore & Sanctis
per totum annum cum plurimis aliis tract. de officio inquisitionis; de
imitatione Christi, & alia &c. obiit Ao. 1446. Licet itaq; errores quos
isti defenderunt, non probemus, ingenium tamen iis non defuisse pro-
bamus, multos alios nunc trans eo, ut Joh. Cantiensem, qui Cracoviæ
docuit, Pancrat. Vulturinum, Hirsbergenf. & Schvvarzpekium Nissen-
sem. ap. Schikf. in præfat. laudatos.

§.14. Intrent itaq; qui stupiditatem notant Silesiorū, Pa-
triam nostram. perlustrent tam bene compositas, quæ ibi
florent resp. optimis munitas legibus, & ad perfectissimum
statum proxime accedentes. (a) persuasissimus sum aliter

C

judi.

Silesiū eruditi in media
barbarie,

judicaturos. Et audiui plurimos exteros, qui cum in Silesia commorati fuissent, non satis laudare eam potuerunt.

(a) Aliis in Silesia optime constitutis civitatibus & rebop. nihil detrahimus laudis, Wratislaviam modò nostram, quæ incunabula nobis dedit, exemplum proponimus. Hanc Sigismundus & Ferdinandus I. Impp. maximi fecere, & præclare de ipsius forma regiminis judicarunt, Vid. Nic Henelii Breslograph. Epistolaq; Johannis Michaelis Bruti ad Andr. Dudithium ap Schikfus. l. 4. c. 8.

§. 15. Sed Ignavia fortassis rei agentur Silesii, quos vel plagis ad laborum tolerantiam adigere necessum sit? plagis ipsi digni sunt, qui ita somniant Vigilantes. Labor improbo cui Silesii se commancipant, industria ipsorum, exteris & longe disitis gentibus emolumento est. (a) nec fortitudo bellica eos destituit. In scenam produci possent viri manu fortissimi, quos Silesia protulit, exteri vero nationes celebrant.

Silesiorum industria
§. 10. (c.)

(a) Linteamenta Silesiorum, panni, ferrum, rubeam a Silesiis accipiunt alii, & maximi faciunt, & rectissime Schikfusium de Silesiæ populo judicasse, experientia cui optime creditur, comprobatur. v. l. 4. c. 6. (b) Oldenb. p. 4. Thes. rerump. Silesios dicit subagrestis esse ingenii, & morosos & Tristes, adeoque non nisi raro ad arma idoneos reperiri, quapropter Silesios justos magis dicendos quam fortes. Verum n. v. nec animum nec peritiam bellorum Silesiis defuisse, tot Heroes, qui ex Silesia orti sunt, testantur. Mitto antiquiores Piastæ stirpis inclutos Principes ap. Schikf. l. 2. c. ult. Superioribus annis Georg. II. Bregensis, Adam Wenceslaus Theschinensis duces Fidem & obsequium Austriis in bellis Turcicis, Hungaricisque, indefesso studio, intrepidoque animo probarunt. Sileo alios, quos tamen annalium non tacebunt libri Schoeneichiorum, Melchioris Rederi, Carol. Annibalis Donavii, Joh. Ulrici Schaffgotschii, & plurimorum bellatorum Silesiorum illustria nomina, ap. omnem posteritatem audientur. Sebischiorum nobilissima familia a Trucidando, Polonici idiomatis, accepit nomen, quod auctor illius, pro suo Duce alacriter pugnans, commilitonibus acclamaverit Sabie Sapiæ

Heroes bellici ex Silesia oriundi,

Sabie quod idem est a feri feri. Gloriosa hæc majorum vestigia non de generans legit posteritas; Quot milites Equestrium familiarum imprimis Silesios invictissimus Augustus numerat, qui prompti sunt vitam & spiritum pro optimo principe ponere.

§. 16. Sed manum de tabula. sic enim leges, quibus constricti sumus, jubent. Nec pluribus in præsentiarum patriam vindicare, nobis concessum est. A ruditate, quam alii nobis objiciunt, vix ut defendamus, opus est. obtestor, quotquot in Silesiam iter fecerunt, num ulli cedant nationi civilitate. Lingvæ & morum ornatum ex ruriculis addiscere non solemus. His agrestia, ut agri alumnos non negamus ingenia, ubi cultus ipsis desit; num horum vitia omni nationi imputanda? Sermonis decus Germani sectare Silesios, & aliis palmam hæc in re facere dubiam, sola Pœsis, quam Silesius in Germaniâ exornavit (a) comprobat. Ubiq; agrestes, ubiq; locorum rustici; sic omnis natio dicenda foret Asinivora?

(a) Prohibemur hæc deducere. Mart. Opitius Boleslavium habuit patriam, cui has laudes, quantum memini nullus Germanorum detrahet. Sic hætenus celeberrimos Poëtas in sermone patrio genuit Silesia, And. Tscherningium, And. Gryphium, & quot hodie Poëtarum nomina celebrantur? Magnif. Christiani Hoffmanni ab Hoffmansvaldau, Daniel. Caspar a Lohenstein, Mühlphorti, aliorumque nobilissimorum virorum. Horum amplissimas laudes, exigua charta non capit, quæ finem nobis imponit.

*Mart. Opitius, Poëtarum
Germ. Princeps.*

GLORIA SUMMA DEO!

os (* *) so

Handwritten numbers in blue ink: 17, 3545

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

GLORIA SUMMA DEO
Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

Handwritten number '17' in blue ink.

Handwritten number '1077' in blue ink.



Q.K.
397,
6.

X 130 3395

ONC
SIL
Amplisfi
DISSER
M. CAS
JOHANNI



Typis JOHAN

Ad

AM
M,
ollegii
ICA
mmer/
schalef/

idebat



040



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

